



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687


XXXIII. In Domin. IV. Post Pentec. Ex hoc jam homines eris capiens. Luc. 5.
Arg. An liceat homines capere.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

non agnoscit. Hic largissimè gratiam offert, quam ibi vel sanguineis in aeternum lacrymis non exorabis. Festina itaque perinde atque immundus ad fontem limpidissimum, cæcus ad solem justitiæ, & veram lucem, quæ illuminat omnem hominem errabundum in vita sua; tanquam faucibus ad medicum, tanquam moribundus ad vitam, tanquam ovis, quæ perierat ad pastorem suum tanquam peccator ad Jesum qui salvum facit à peccatis populum suum. Festina autequam veniat diluvium dissipans terram; antequam veniat dies Domini terribilis & amara valde. Accede securus quia apud Do-

minum propitiatio est & misericordia. Dic cum Psalmista: *Erravi, sicut ovis quæ perit, tu me suscipe miserere mei, & deduc me ad ovile sanctorum tuorum.* Ego sum drachma illa perdita, accende lumen intelligentiæ tuæ, & præsta, ut scopis pænitiæ purgatus, & inventus, in thesaurum divitiarum tuarum inserar. Ego sum prodigus ille, qui omnem dilapidavi substantiam, suscipe me Pater revertentem ad te. Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Fac ut quod ore tuo sacrosancto, & inviolabili promisisti, id ipsum in me gratia tua adimpleatur, Fiat.



CONCIO XXXIII.

IN DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

EX HOC JAM HOMINES ERIS CAPIENS. Luc. 5.

ARGUMENTUM.

AN LICEAT HOMINES CAPERE.

I.



Propositissimè & mundus pelago, & homines piscibus illi innatantibus conferuntur. *Aud.* Diverse sunt species si non iidem genera piscium: diversi pariter ordines, gradus complectiones, familiæ hominum. Pisces hinc inde reciprocantium fluctuum æsti-

bus jactantur; & homines variis tentationibus, & mutationibus obnoxii. Ludunt hi in mundo suo, terra; ludunt illi in mundo suo oceano, atque in utrisque ludit sapientia & potentia Dei. Majores pisces minoribus insidiantur, eosque depascuntur; (Grandior enim quisque & robustior minorem inferiore inque devorat) nec minus juxta receptam paræmiã *homo homini lupus.* Pisces ventre incubant aquis; ita & ho-

*Homines
pisces.*

Prov. 8. 36.

& homines plerique incubant aqueis voluptatib⁹, ac sollicitudinib⁹, ijimprimis de quibus Apostolus loquitur:

Phil. 3. 19. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Pisces faleget, ne putrescat, & si hic desit primum à capite vitium putredinis diffundit: haud secus homo indiget prudentia; & si hæc destituatur, à cupiditate victus corrumpitur; & regna, monasteria, ordines quique à capite vitium trahunt. Pisces ut alia taceam, capiuntur arte & industriâ; nec minus homines ab hominibus. Unde rectissimè oraculo enuntiavit Habacuc: *Facies homines quasi pisces maris.* Sed num ex æquo istos capere possumus? Videamus.

PARTITIO.

II. Quemadmodum pisces; ita & homines duplici ut plurimum capiuntur artificio; nimirum aut hamo, aut reti. De hamo contestatur Ecclesiasticus: *Quemadmodum pisces capiuntur hamo, ita & homines.* De reti Ezechiel Vates: *Extendam rete meum super populum, & capientur in sagena.* Quodnam verò hoc rete, aut quisnam ille hamus? Hamus quo capiuntur homines non est alius quam astutia, dolus, fraudulentia. Quemadmodum enim hamus obducitur escâ, seu vermiculo, ita ut hic solus videatur, & ille lateat: suppari ratione dolus forinsecus commodum, aut honestum quodpiam ostentat, intus nequitiam abscondit. Rete autem de quo loquitur Isaias est verbum Dei, verbum salutis, verbum ædificationis. Quam sanctum, ac divinum est hoc reti capere homines,

Ecc. 9. v. 12.
Ezech. 12. v. 13. & 17. v. 20.

tam abominabile Deo, & ipsi piscatori noxium est hamo illos attrahere.

§ I.

Homines in dolo capere execrandum & noxium.

III. **A** Bominandum & execrandum esse homines hamo capere, seu circumvenire ac fallere manifestum facit Plaltes serenissimus, quando occinit: *Virum sanguinum & dolum obominabitur Dominus.* Quanto perere Deus execratur virum crudelem, & sanguinis appetentem; tantopere illum, qui dolos meditatur, & struit.

Roborat id ipsum Sapientiæ oraculum Salomon; dicens: *Spiritus enim sanctus disciplina effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, que sunt sine intellectu;* hoc est quales sunt ficti homines. Ab his tanquam ab enormi spectaculo, & monstro territus fugit Dominus, vulturnque suum ab eis avertit. Et sane nonne monstrum stupendum, & execrandum vir dolosus?

Comminiscuntur Poetæ quempiam improbè obtinuisse à diis, ut ad certum tempus vulpinam illi ad astutias investigandas inderent animam, & subinde in serpentem mutatus viveret. Cum verò talis esset redditus, sortitus est quidem astutiam vulpis, ac serpentis, sed rationem prostravit, & brutis insipientibus assimilatus est. Eiusmodi monstrum est homo dolosus & vaffer, corpore quidem præferens hominem, at intus gestans sub pectore vulpem. Et à tam abominando monstro non fugiet Numen, cujus veritati ac simplicitati è diametro aduersatur omnis

Dolosus Deus abominatur.

Psal. 57.

Sap. 1. 5.

Dolosus homo monstrum.

omnes duplicitas, ac versutia? *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.*

Cygnus cur non adhibetur in sacrificio.

IV. In veteri Testamento cum plerasque alites in sacrificium admitteret Dominus, cygnum nihilominus expunxit, ac detestatus est. Unde istud? Cygnus enim multo rectius ad Divinae bonitatis partem suam traducit originem, quam Castorem, ac Pollucem commentitia Poetarum oracula à nidulante apud Ledeam Jove prognatos hallucinantur. Candoris enim trabea inter cæteras volucres insignitur eminentius, innoxiam inter lymphas ducit vitam, & ut pulchritudine oculos omnium retinet; ita cantus suavitate aures oblectat. Cur itaque ab altari proscribitur? cur Numini candoris amatori non immolatur? Edico, quoniam candor ille extraneus est in plumis consistens, quibus quidem candidis gloriatur; at carnem habet eorvinam, & asperam, nec elui humano congruentem. Ejus in imagine apposite simulantur hypocritæ, & versuti; qui superficiei tenus candorem & suavitatem præferunt, animò autem obduruerunt; loquuntur pacem proximo suo, mentem in cordibus eorum. Non ad similes impurissimis illis senibus, Susannam castissimam Matronam incusantibus. Cygneum candorem cæsarie, & barba simulabant; at sub ipsa terram, ac putridam carnem occultabant; fœminam integerrimam in adulterio deprehensam ementiebantur, & Colchicum venereum in fibris intimis haustum dissimulabant. Hujusmodi cygnos abominatur Dominus, & ab altari suo fulminat. *Virum*

dolosum abominabitur Dominus; & hamo, seu dolo, quo alios capere moliebantur, ipsimet suspenduntur.

V. *Qui decipit justos in via mala, interitu suo corruet. & simplices possident bona ejus: Syrus in foveam corruet, quam fecit, hamo, quem tetendit capietur.* Nitebatur veteratoriis suis artibus institor fallere cauponem, fallitur ipse ab eo, à quo minimum sibi providet. Meditatur vicinus vicinum supplantare in præstinando fundo, aut re alia quavis supplantabitur ipse. Præconcepit officias Paterfamilias, quibus servum fraudet justâ mercede, fraudabitur ipse. *Qui decipit justos, interitu suo corruet.*

Dolosus suo dolo capietur Pro. 28. 10.

Id est, quod non tam imprecatur, quam oraculo prædicit David: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam ad inventionum ipsorum. Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis. q. d. Reddes illis secundum opera eorum, id est afficies eos pœna, quam merentur opera eorum; & secundum nequitiam ad inventionum ipsorum dabis eis: id est, sicut ipsi ex malitia sua excogitaverunt, vel invenerunt varios modos vexandi justos; ita tu per sapientiam tuam invenies varios modos cruciandi peccatores, & denique reddes illis retributionem suam; id est sicut ipsi retribuunt mala pro bonis, sic tu eam retributionem convertes in caput ipsorum, faciendo quatenus illis noceat, non justis.*

VI. Spectandum id nobis luculentissimè exhibet liber Geneleos in Jacobo

Labani
Fraus.
Gen. 31. 7.

Jacobo Patriarcha viro simplici ac recto, & in Labano ipsius avunculo. Huic quàm sincerè famulabatur ille, tam nequiter illudebat iste. Pater vester, enuntiat ipse Jacob uxoris suis, circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus. Quo successu? Numquid Laban inde ditior redditus? Audiamus prosequenter sermonem suum: *Non dimisit eum Dominus, ut noceret mihi. Si quando dixit, varia erunt mercedes tue, pariebant omnes oves varios fetus;* quando verò è contratio ait: *alba quæque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt; & concludit: Tulitque DEVS substantiam patris vestri & dedit mihi.* Ecce vobis fructum fraudum, & versutiarum vestrarum. Malum ad inventionem vestrarum convertit in bonum justorum; & vel medietatis detrimentis realem talionem rependit. Deus enim est innocentiae tutor, & ultor nocentium. Ipse est Judex æquissimus, quem nihil præterit, qui fraudes occultas, quum in foro fori impunitæ maneat, ipse suscipit plectendas, grandiq; ultionis scœnore rependit.

Talio ad-
struitur in
dolefit.

VII. Proponit idiplum ob oculos, in profligatissimo Davidis regis filio Absolone, Digitus Scribæ velociter scribentis. Hic in vota sua inclinaturus populum Israeliticum, summo mane, primoque diluculo, proripiebat sese è lectulo, & ad portam principem civitatis festinabat. In hoc omnem virum habentem negotium ad se evocabat, illudque extollebat, & si daretur sceptrum sibi in manus, opem, protectionemque pollicebatur. Si verò quispiam ultro accessisset, ipse obviam ef-

Absoloni
astutia.

fundebatur, dextram approximanti porrigebat, inclinantemque se supplicem desuaviabatur. *Faciebatque hic omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur à rege, & sollicitabat corda virorum I'rael.* Qui itaque mendax, & versipellis erat, jure merito à mulo falsus est, suisque vapulavit artibus. Etenim in hoc jumento, quo subvectatus est Absolon, perbelle vafrities teste Drogone Hostiensi adumbratur: *Mulus, ait, ex equo & asino mixtus, est duplex animus, qui foris ostentat, quod intus non servat.* Et qui nec Deum Patrem, quem habebat in cœlis; nec genitorem, quem habebat in terris, venerabatur, æquissimo judicio hæsit inter cœlum, & terram medius, tanquam nec illo, nec isto dignus; tanquam prodigus filius, qui omnia vel in terris, vel in cœlo sacrosancta, & pretiosa prodegit; nec quicquam, quod vel hic, vel inibi repositum haberet, requirere potuit; tanquam fructus jam maturus non mensæ cœlitum, sed porcorum infernalium; Ideo enim è juglande pependit, ut qualis hic fructus existeret, unicuique pateret.

Drogo de
pass. Dni.

Quantumvis autem seridè moneret, præciperetque David Pater: *Servate mihi puerum Absolon:* at tamen nullâ adjuratione, vel imperio incolumem servare potuit. Sed qui parenti optimo debitam violavit fidem, dignus extitit, cui nec fidem à genitore rogatam servarat miles. Quippe Joab audito nuntio de tam exoptato exitu, illico festinus vindex, & ultor advolavit, & triplicem lanceam in cor ingratiissimi cuculi adegit: *Tu litque Joab tres lanceas, & infixit in corde Absolon.* Totidem enim

enim infigi oportuit, quatenus trina
spicula uno corde exciperet, qui & regis,
& ducum, & populi, id est triuma
corda uno ambitionis telo violaverat.

Rabbi David
vid hoc
loco.

Quia trina corda quodammodo sollicita-
bat, Regis scilicet, ducum, & plebeorum,
dignum profecto erat, ut ejus cor unum
triplici confossum jaculo scinderetur, ait
Rabbi David. Tali ramo talis debe-
batur securis, tali fructui talis arbor,
tam bicordi, ac duplici tale suspen-
dium. Ut proinde in spiritu prædixisse
illi pius pater videatur: *Convertatur
dolor ejus in caput ejus, & in verticem
ipsius iniquitas ejus descendet.* Refin-
gantur omnes veteratoriae artes ipsius
in pœnam, & malitia ipsius talionis
malleo in ipsius vertice recudatur.

Psal. 7. 17.

VIII. Hoc etsi justissimæ Neme-
fis plebiscito statutum definitumque
sit; attamen etiamnum non desunt,
qui cum piscatoribus iētis sapiant. Eti-
amnum illa vulgaris paræmia jacti-
tatur: *Semper tibi pendeat hamus.* Eo
omnis filiorum mundi tendit agilitas;
ut quod arte, & industriâ obtinere
nequeunt, officiis & astutia assequi
fatagant. Hinc illa dololorum axioma-
ta invaluere; Nullam fallendi occasio-
nem negligere, pejerare audacter, pa-
ctis non stare, varias lucrandi artes
excogitare. Hinc panni Institor si quid
exoletæ mercis habet, sub fornice ob-
teuro auctonatur, mirumque in mo-
dum deprædicat:

Fraudibus
omnia ple-
na.

*Laudat venales, quas vult extrudere
merces.*

Caupo vino dubio, ac pendulo
gratiam conciliaturus cretam miscet,
sulphure corrigit, vinum sublimatum
affundit: & nihilo minus hoc suum vi-

num inter optima urbis extollit. Hanc
in modum alii pro thure lapides, pro
cera picem vendunt, & tamen jurant
merces esse sinceras. Quid dicam de
Contractibus: quot clausulis, condi-
tionibus illi muniuntur, & tamen in-
venit vasfrum ingenium quod contro-
vertat. Quid alias sponsiones memo-
rem, in quibus ut plurimum multum
vocis, parum lanæ.

O munde immunde & versipellis!
ô Europa Europa versuta & astuta!
quæ tot laqueis irretita es, tot hamis
suspensa ingemiscis, & caperis; si cau-
sam ex me seiscitaris, alia non est, quæ
quod dolosè incedas, loquaris pacem
cum proximo tuo, mala autem partu-
rias in corde tuo; eapropter adinven-
tionum tuarum technas remetitur tibi
Dominus; quia vulpinaris, vulpes tibi
Osmanicas imittit, quæ demoliuntur
vineas tuas; quia serpentinis gyris alios
implicas, toxicum & lueni ipsemet ti-
bi distillat. Vis itaque Deum sincerum
nancisci protectorem, ac adiutorem,
esto pectoris candidi, & antiqui offi-
cii homo; neminem supplantēs, nemi-
nem circumvenias, nemini foveam
eruas, ne ipsemet incidas.

IX. Dices, sæculum præsens nimis
est versutum. Jam & rusticorum turba
novit distinguere, sine fuce, & hamo
non capiuntur. Unusquisque quæ no-
vit arte nititur aquas ad suam deriva-
re molam, unusquisque molitur elude-
re alterum. Cum vulpibus igitur vul-
pinandum, nisi prorsus sibi lo exponi
aliorum, ac officiis illorum circumve-
niri velimus.

Mundus
plenus do-
lit.

Ajo, sit ita. Esto mundus sit merus
Sycophanta, esto proximus quisque sit

nugivendus, & ex meris fallaciis ac fraudibus compositus, tu esto sincerus ac integer. Esto alii clanculum derivent aquas ad suas molas, tu expende quam incessanter rota ipsius volvatur, & quas accipit lymphas devehat. Exige apud te hos torrentes, quos quispiam iniqui; attrahit, meras esse lachrymas, sudorem ac sanguinem oppressorum, & tandem in mare rubrum convertendas, à quo absorbeantur. Cogita tandem aggerem Libitinæ sarculo rumpendum, & aquas coadunatas effundendas. Expavescere ne hæc rota sit Ixionis cui implicentur, aut Platonis, quæ ad inferos devolvantur. Mitte iraque hamum, mitte technas, & rete arripe ad capiendum homines; id est sincerò ac zeloso alloquio attrahere aliorum.

§. II.

Homines veri capere sanctum.

Zelus commendatur.
S. Dion de Cœl. Hier.
c. 3.

X. Hæc enim captura propterea pia, sancta, immo & divina. *Omnium divinorum operum divinissimum est, cooperari in salutem animarum:* ait Apostolorum discipulus S. Dionysius. Hoc opus propriè divinum est, & inter omnia alia princeps salutis hominis consulere.

Quid quæso Deus Pater ab æterno meditatus est, aut quid sibi in ipsa temporali mundi creatione, ac opificio præfixit? Profectò id unum, ut homo Dominum Deum suum cognosceret, illum coleret, ac tandem salvus fieret. In hunc finem omnia subiecit tub pedibus ejus, in hunc finem ipsam

intellectu insignivit, in hunc finem erectos ad sidera vultus contulit.

Quid ipsum Filium Altissimi movit, quatenus ex sinu Patris sui, & throno gloriæ suæ in terras descenderet? Nihil aliud, quam ut salutem nostram operaretur in medio illius; quam etiamnum in cœlis accurare, ac promovere haud desistit.

Id nimirum Salomon in quarto Eccl. elefastici sui capite & prævidit ipse, & posteris prænuñtiavit: *Est unus, & non est secundus, & frater non est ei; nec est finis omni labori ejus; & quidem oculus ejus non saturatur divitiis.* Qua in descriptione S. Hieronymus veram effigiem Verbi agnoscit hominum redimendorum gratiâ humanam naturam amplexi, ejus desideriiis nulli satis animarum questus respondebant; Quin quò plures Evengelio lucrabatur, eò plures concupisceret, & à Patre suo sibi submitti postularèt: *Cujus laboris non est finis, portans nostra peccata, & oculus ejus non satiatur divitiis, semper nostram cupiens salutem.* Itaque qui eodem inardescunt studio, non tam humanum quidpiam, quam divinum præfixum habent: *Omnium enim divinorum operum divinissimum, &c.*

XI. Si quæramus an possit omnipotens ampliolem, auctioremque cuiuspiam gratiam conferre, quam ut cum ipso Deo cooperetur in salutem proximi sui? Insciciabitur id Richardus à S. Victore, Theologus suæ ætatis aut omnium primus, aut nulli secundus. Sic enim ille in suo Benjaminò ratiocinatur: Nullis quidem omnipotentia Dei limitibus circumscribitur: Videtur mihi nihilominus in illa cœlestium favorum

Christi 21.

Eccl. 4.

S. Hier. in hunc l.

Richard. Beniam. 44. part. 1.

rum immensitate talis aliqua gratia eminere; quam ultra tendere beneficiis nequeat ille, cui inexhaustum est præmiorum ærarium. Fallor sine dubio cum ita disputo: Nam ubi nullus est finis, fieri non potest ut sint ulla confinia: Attamen nullus inclusa terminis Dei potentia, illud non ultra exiguitatem ingenii mei reipsa videtur exhibere. *Nescio si potest aliquid à Deo homo in hac vita majus accipere; ignoro an possit hac gratia majorem interim aliquam Deus homini conferre, quam ut ejus ministerio perversi homines in melius mutantur; ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur.* Equidè haud dico non esse, at me non videre affirmo, quodnam ministerii genus possit Deus aut in Ideis suis describere, aut in Ecclesia sua constituere, quod dignitate præcellat Evangelico ministerio, quo per duelles cæli sacrarum literarum tonitru percussuntur, blasphemi crucis obrectatores redarguuntur, temerarii concusatores Decalogi ad emendationem, ac pœnitentiam revocantur. Adeo Divinum opus divinißimum est in salutem proximo- rum cooperari.

XII. Novimus insuper quod nemo possit dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu S. Novimus peccatorem à via iniquitatis in viam reducere justitiæ, & æquitatis solius esse opus dexteræ Excelli. *Quis enim potest facere justum de injusto conceptum semine, nisi tu qui solus?* Ergo cooperari Deo vel per modum instrumenti ad conversionem hominis impii, est divinorum omnium operum divinißimum.

XIII. Quod si hæc doctrina vim haber, uti profecto habere debet, quis

erit qui pro ratione sui status non enitatur proximum quemvis ad meliora promovere; qui non exardescat in salutem animarum accurandam, ad saniora suggerenda præfractis consilia? Vereor tamen ne etiamnum D. Bernardi indignantis, ac miserantis voces locum habeant: *Cadit asina, & est qui sublevet eam; perit anima, & nemo est, qui reputet.* Melior est conditio bovis aut asini, quam hominis proximi: Nam cujus vestrum bos aut asinus in foveam cadit, & non continuè illum extrahat? Quoties autem cadit in domo tua filius & filia, servus aut ancilla in puteum profundum, in puteum bituminis, & inibi hæere sinis! Puteus hic, interprete D. Augustino, non est aliud quam vitiorum voragines. Ita ille in verba Geneseos: *Vallis silvestris habebat multos puteos bituminis, edisserit: Per hanc vallem mundus significatur, in quo sunt multi bituminis putei, qui sunt vitia, qua peccatores ita apprehendunt, & alligant, ut sicut bos, si in puteum cadat, inde exire non possit, nisi adjuvetur; ita peccator per se exire à suo scelere minime queat: Et tamen nulla cura est super hoc aut parenti, aut matri, aut Præsidi.* *Cadit asinus, & est qui sublevet eam, perit anima, & nemo est qui reputet.*

XIV. Melior est conditio drachmæ apud plerosque, quam cujuscunque hominis animæ. Ut enim illa per dita inveniatur, accenduntur lucernæ, everritur domus, excutiuntur omnes anguli; at ut anima imagine Dei signata reperiatur, rarus est qui pensitet. Et tamen ea est dignitas, id pretium animæ hominis, ut si quispiam vel unico ictu oculi in ipsius pulchritudinem

Salutis incuria.

S. Bern. l. 4. de Consid.

Puteus peccati profunditas.

Gen. 14. 10. Aug. b. l. ad literam.

Incuria salutis aliena.

tudinem devenisset, lubens millies mortem subiret, ad unicam è Tartari faucibus eripiendam, & cœlo inferendam.

XV. Melior est conditio grani minimi in agro consiti, quam animæ in laudem & gloriam Dei conditæ: Illud enim si fortè aruit, si nullum fructum tulit: in lamenta & querelas agricolas, aliosque evocat; at parum, aut nihilum commovemur animo ob summam bonorum operum sterilitatem, summamque egestatem. Patientius ferimus Christi jacturam gravissimam, quam nostram levissimam. Supputamus exactissimè intertrimenta nostra; at dispendia Christi vix unquam ad calculos revocamus.

XVI. Dices. Quis potest hoc reti piscari? Numquid omnes sumus Ecclesiastæ? Numquid omnes capiendi habent commoditatem, aut occasionem? Quid? rehero mi mundane, tibine deesse potest occasio, qui prope in momenta singula audis blasphemantes, aut imprecantes, cui ad nictum prope quemvis incurrunt nævi, qui toties quereris de familia dissoluta ac pervicaci? Tibine occasio ad manum non est, qui toties sollicitaris ad pravas societates, ad perversa colloquia, ad pia opera negligenda? Tibine deest occasio, cui manifesta sunt, & liquida vitia proximi tui? Est sane ubivis obvia occasio, si modò adesset, & flagraret in nobis ardor zeli gloriæ divini, si modò altum memoriæ infixum haberemus: unicuique Deum mandasse de proximo suo; si modo capturam facere adniteremini.

XVII. Quocirca si quidpiam in

nobis etiamnum flagrat divini incendii, si vel teintilla viget amoris enthei, laxemus retia nostra, laxemus minimum linguam nostram, verba nostra in capturam.

Regis Cæsi filium ab ipsa genefi elinguem Sigalionem exitisse perhibent Historiographi. Evenit autem ut Parentem ad castra jam positâ prætextâ comitaretur, & prælio contra Syros inito adesset. In eo militum quispiam adversæ partis fortuitò in Cæsum incurrens adacto ferro ipsi necem meditabatur. Advertite, & audite quid non faciat amor. In eo periculo quum Patrem rueri filius nequirit, paterni amoris vi, & impetu actus, disruptis linguæ repagulis exclamavit: *O homo ne feri, Rex est quem petis.* Tantum potuit innatus zelus paterni boni, & humani, & prò pudor tantundem zelus divini honoris non præstabit? Filius mutus prævidens ictum parenti intentatum exululavit ut averteret; & homo garrulus prospiciens, & audiens tot Dei parentis injurias non intonabit: *Quid facis serve nequam? Rex cœli & terræ est, quem petis linguâ tuâ, Rex est regum, & Dominus dominantium quem teris; Deus est, quem lacestis. Cave ne ipsum irrites, ne tremendam ipsius lacestas majestatem. Vel mulier loquacissima aliàs animadvertens filiarum aut filiorum excessus non laxabit ora, & dicet: Cogita fili mi quid facis, memento conditoris tui: ille enim est quem tu proteritas; ille est, cujus præcepta temerarius violas; ille est de quo S. Paulus: *Terribile est incidere in manus Dei viventis.* Idem dico nonne alii factitarent, si quid-*

fi quidpiam ignis divini in præcordiis ipsorum glisceret.

Eja itaque vel abhinc laxate cum D. Petro Archipiscatore retia hæc vestra, ne forte serò cum eodem indo-

leatis, dicentes: *Tota nocte laborantes nihil cepimus, Nec unam Deo animam lucrati sumus, nec unicus admonitionibus nostris ad frugem reductus est. Amen.*



CONCIO XXXIV.

IN DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

nisi abundaverit Justitia vestra plusquam scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Luc. 5.

ARGUMENTUM.

ASTREA IVDAICA CHRISTIANE COM-
PONITVR.

I. **I**ustitia, quam summus Legifer noster abundantiore in præsentibus Evangelio à nobis efflagitat, non tam partialis virtus est, quæ reddit unicuique quod suum est, quàm generalis, omnes alias suo stringens complexu. *Aud.* Illa est de qua Hieronymus: *Omnis virtutum species uno Iustitia nomine continetur.* Illa est, de qua Chrysostomus: *Iustitia est plena omnium mandatorum custodia.* Illa est de qua Psaltes cecinit: *Retribuit mihi Dominus secundum justitiam meam, id est secundum virtutem, innocentiam, ac rectitudinem cordis mei, quam nunquam non nilus sum conservare.* Illa est, de qua Dominus ipse ad suum Præcursores, & Bapti-

stam: *Sic nos decet implere omnem Iustitiam.* Convenientissimum est, ut qui totum suscepi hominem, per omnia hominis transeam sacramenta, nec ullos ritus, aut submissionis opera exequi prætermittam. Cum enim piissimus Assertor noster ad eminentissimum perfectionis, ac sanctitatis culmen suos fideles perducere gestiret, omne illud unà complexus est, quo illud conscendere possemus. Itaque quando interminatur nobis: *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum &c.* perinde est ac si dicat: *Nisi virtus vestra, sanctitas vestra custodia mandatorum DEI perfectior in vobis fuerit, atque in scribis, & Phariseis; si nec quicquam ad cumulum meritorum supra illos adjeceritis, à cœlestis patriæ*

Hier. Ep. ad Demet.

Chrysost. h. 12. in Matt.

Psal. 17. 21.

Matth. 3.

13.

patriæ